

AMPLISSIMÆ REIPVB: VRATI-
SLAVIENSIS: SAL. IN SALVATORE.

VI HODIE SACROS VTRIVSQ. TESTAMENTI LIBROS ex populi Christiani manibus excutiunt, & nefas esse clamitant, si illi in linguam cuiq; genti vulgarem transferantur, & explicentur, vt à quibusvis legi & intelligi possint: Peccant hi primò in ipsum DEVM, qui verbum suum literis mandari voluit, vt ab omnibus legi, & cognosci queat; peccant præterea in publicam salutem, & huius hostes sunt nocentissimi, Diabolo autem operam nauant exoptatissimam, dum infelices ei obijciunt armis omnibus destitutos, quibus ille vinci, & procul arceri poterat. Idem vetustissimum Ecclesiæ morem suo exemplo damnant, dum illud prohibent, quod omnibus sæculis vsitatissimum fuisse constat. Olim certè DEVS legem suam, non in lingua solis Sacerdotibus aut Leuitis nota, sed vulgari, & quæ in omnium vsu erat, promulgauit, & huius lectionem, atq; meditationem ita omnibus commendauit, vt in his Reges, & Principes, singulos deniq; patresfamilias sese cum suis indefinenter exercere iusserit. Omnibus enim per Mosen loquitur, dicens:

SINT VERBA ISTA, QVAE EGO TIBI PRAECIPIO HODIE, IN CORDE TVO, ET INCVLCES EA FILIIS TVIS, ET LOQVERIS DE ILLIS, CVM DOMI TVAE RESIDES, ET CVM PER VIAM INGEDIS, CVM CVBITVM VADIS, ET CVM SVRGIS, LIGABIS DENIQ. EA IN SIGNVM AD MANVM TVAM, ERVNTQ. MONVMENTA INTER OCVLOS TVOS. SCRIBES ITEM EA SVPER POSTES DOMVS TVAE, ET IN PORTIS TVIS. Deut. 6. Daud quoq; absq; omni personarum discrimine, beatum pronunciat eum, qui legis diuinæ studio delectatur, & huius meditationi vacat dies noctesq;. Psal: 1. Et Esaias suos auditores ad legem & testimonium remittebat, vt inde discerent, quid facto opus esset, id verò frustra facturus erat, nisi legis libros domi suæ habere, & legere omnibus licuisset. Esaiæ 8. Commendatur item Regis Iosia pietas, qui legis librum Sacerdotum incuria diu neglectum toti populo publicauit; 2. Paral: 34. Quod post reditum ex Babylone Esdram quoq; fecisse legimus: Nehemiæ 8. Deniq; toto illo veteris Testamenti tempore, nemo inuentus est, qui eo usq; audaciæ progressus sit, vt sacros libros vel suppressere, vel eorum lectionem prohibere conatus sit, præter vnum Antiochum, quem pleriq; ex patribus Antichristi typum fuisse dicunt.

Postquam verò beatum illud tempus appropinquare cœpit, quo DEI Filius in carne manifestari, & huius salutaris cognitio per totum orbem terrarum effundi debuit, singulari diuinæ providentiæ consilio factum est, vt opulentissimus Aegypti Rex Ptolemæus Philadelphus, cùm bibliothecam omni librorum vndiq; conquisitorum copia instructissimam pararet, per legatos ad Eleazarum Pontificem missos peteret, ad se mitti viros sapientes, & linguarum peritos, qui veteris Scripturæ codicem hætenus solis Iudæis cognitum, in Græcam linguam, quæ tunc apud omnes gentes in frequentissimo vsu erat, transferrent. Neq; officium hoc Regi ethnico Eleazarus negauit, sed ad illum misit septuaginta interpretes, qui quod ille petebat, magno cum studio & diligentia præstiterunt. Quis verò Eleazarum in re tanti momenti tam facilem se præbiturum fuisse credat, si vel in mentem alicui pio venisset, libros illos à nemine, præter quàm solis Sacerdotibus, legi & versari debere? Ab eo tempore certè illos in omnium manibus vulgo fuisse, non solum ex Athiopis Eunuchi, & Berrhoensium historia, quorum Lucas meminit, Actorum 8. & 17. Verumetiam ex poëtarum, cum græcorum tum latinorum scriptis constat, in quibus multa inueniuntur, quæ illos historiæ Mosaicæ & Prophetarum non rudes fuisse ostendunt. Quid quod Timotheum suum, qui patre Græco, ex matre Iudæa natus erat, hoc nomine Paulus commendat, quòd à pueris sacras literas didicerit? Quicunq; ergo harum lectionem hodie interdiciunt, aut in vulgares linguas traductum Bibliorum opus, ex laicorum (vt ipsi loquuntur) manibus excutiunt, vel etiam flammis tradunt, ij nouæ & olim inauditæ tyrannidis in Ecclesia authores sunt; Impietate verò, tam in DEVM quàm in homines peccant, dum, quantum in ipsis est, prohibent, ne illum loquentem omnes audiant, neuè in huius cognitione proficiant, aut arma sibiipsis parent, quibus sese aduersus communem publicæ salutis hostem Diabolum tueantur. Quapropter fortiter & strenuè in sacro curriculo studiorum nostrorum instantes, absolutis libris Samuelis & Melachim, ad Genesis tractationem nos præparamus, & 3. Iulij in Auditorio Theologico conueniemus hora IX. dicturi aliquid de Sacrarum Literarum pia & commoda lectione instituenda. Interim vt Nazianzenus in Epistolis scribit, *μονὴν ἀσφάλειαν εὐχῆς πλὴν ἡσυχίας νομίζομεν*, & expectamus à DEO ter maximo foelix auspiciū, benedictionem & gratiam sacri conatus nostri. His viue, & vale in Domino. Datæ in Paroecia Elisabethica 28. Iunij: Anno exuberantis gratiæ M. D. LXXXVI.



